



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Disp. LXXVI. Vtrum hæc veritas enuntiationis sit conuenientia conceptus
formalis, an obieciui cum reipsa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

In iudicando, sicut in nostro intellectu reperitur in enunciendo. Cumque diuinus intellectus sit infinitus, & supra omnem intelligentiam, ac proinde non possit non intelligere, & iudicare omnem rem, sicuti est, consequitur in ipso esse summam veritatem, quæ falli aut decipi non possit: de qua fufius disputatum est per totam quæst. 14. nam ad scientiam Dei potius, quam ad illius essentiam hoc genus veritatis nostro modo spectare videtur. Cæterum an consistat in aliquo respectu rationis, seq. disp. dicemus: nunc vero ostendisse sufficiat, hoc genus veritatis esse conformationem, seu conuenientiam intellectus iudicantis cum re ipsa.

DISPUTATIO LXXVI.

Vtrum hæc veritas enunciationis sit conuenientia conceptus formalis, an obiectiui cum re ipsa?

Veritas intellectus est conformatio conceptus obiectiui cum re. cap. 1.

Corollaria superioris doctrina, cap. 2.

CAPVT I.

Veritas intellectus est conformatio conceptus obiectiui cum re.

EX disputatione præcedenti solum habemus, veritatem esse conformationem intellectus enunciantis cum re ipsa. Cæterum cum in intellectu sit qualitas ipsa cognitionis, quæ dicitur conceptus formalis, & res cognita, quæ dicitur obiectiui; non satis constat inter Doctores cuiusnam conformatio, seu conuenientia sit veritas.

Prior igitur sententia est Caiet. in art. 2. §. *Ad enunciantem*. in secunda notatione, qui censet veritatem esse conformationem conceptus formalis cum re, siue conceptus formalis sit species expressa, siue cognitio ipsa: itaque qualitas illa, quæ representat re esse, sicut est, dicitur vera ex sententia Caiet. quia conformis est cum re, quam representat. Hanc opinionem nulla ratione probat, sed tanquam notam supponere videtur: in hunc tamen modum suaderi posset. Veritas ita est conformatio intellectus cum re, ut primarie sit in ipsomet intellectu, & inde ad res deriuetur, ut disput. sequenti explicabitur: ergo debet esse primarie in ipsa qualitate, & conceptu formali, qui est in intellectu, ratione cuius in ipso etiam intellectu est res intellecta: nam si veritas esset conformatio rei intellectæ, cum seipsa, prout est extra, non tam intellectus, quæ res intellecta, vera diceretur: atqui intellectus primarie dicitur verus, res autem ipsa secundarie: ergo veritas est in conceptu formali, non in obiectiui. Hanc opinionem videtur secutus Agidius quodlib. 4. q. 7. docet enim, veritatem esse assimilationem intellectus, quæ in ipso formaliter est.

Posterior sententia mihi probatur, quam tradit Durand. in 1. d. 19. q. 5. num. 13. videlicet veritatem primarie esse conuenientiam conceptus, non formalis, sed obiectiui cum re ipsa, prout est extrajta ut sit conformatio eiusdem rei cum seipsa sub diuerso modo. Eandem sententiam docuerat prius discretis verbis Heruæus quodlib. 3. q. 1. art. 2. & 3. quamuis quidam recentiores perperam ipsum intelligentes, arbitrati sint, eum in alia ab his duabus fuisse opinionem: nempe veritatem esse conuenientiam rei, ut est extra intellectum cum seipsa, *ut aq. in 1. part. Tomus 1.*

ut est intellecta: his enim fere verbis veritatem definiuit. Cæterum cum plane asserat in eodem articulo, veritatem non esse formaliter in ipso intellectu; hoc est, in conceptu formali, sed in re intellecta, hoc est, in conceptu obiectiui, non quia sit conformis conceptui formali; sed quia sit conformis ipsimet rei existenti extra intellectum, non est cur cicamur; aliquid aliud, quam Durandum sensisse.

Verba Heruæi sunt hæc: *ideo sequitur, quod non est formaliter* (scilicet veritas) *in actu intelligendi, nisi sicut in representante, sed in re intellecta, neque in re intellecta in habitudine ad representans, sic scilicet, quod talis sit res, qualem est suum representatum, sed in hoc, quod sit talis, qualis representatur.* Cum igitur dicit, veritatem esse conuenientiam rei secundum se cum seipsa intellecta, perinde est, ac si diceret, ex eo id, quod concipitur de re, esse verum, quia conforme est rei secundum se, hoc est, talis obijciatur intellectui, qualis est secundum se: vel contra, talis est secundum se, qualis obijciatur intellectui: hæc enim duo eodem recidunt. Quod si Heruæus oppositum docuisset, sine dubio id confutasset Durandus, quando ex ipso cætera omnia, quæ ille docuit, desumpsit. Et in hunc sensum intellexit Heruæus Soncinas libro 6. Metaphys. quæst. 17. art. 2. in fine. In eandem sententiam, licet non tam aperte, inclinatur Henricus in Summa, art. 34. quæst. 5. eam vero duabus optimis rationibus confirmat Durandus, quarum prior est.

Conformatio, seu conuenientia representationis, vel cognitionis cum re ipsa, quæ dicitur veritas, in hoc consistit, ut res cognitione representetur, aut cognoscatur sic esse, sicuti ipsa secundum se est: ideo enim intellectus est verus, quia cognoscit rem ita esse, sicuti ipsa est: atqui talis conuenientia primarie, & per se spectat ad rem, ut est obiectiue in intellectu, non ad conceptum formalem: ergo in ea primarie reperitur veritas. Porro conuenientiam primarie conuenire rei, prout est obiectiue in intellectu, sic probatur. Intellectus non dicitur, cum rebus ipsis sua intellectione conformari ex eo, quod sua intellectio sic se habeat ad ipsum, in quo est, ut in subiecto, sicut res in intellectu se habet ad suum esse reale, hoc enim est manifeste falsum: sed ex eo, quod res ita intellectione representatur, sicuti ipsa est: ergo id, in quo proxime vniuntur, & conueniunt intellectus, & res secundum se, est ipsamet res cognitione obiectiue representata: illa igitur est, cui primarie inest conuenientia, & veritas.

Posterior ratio, quam desumpsit Durandus ex Heruæo, est huiusmodi. Illud est primarie verum, quod significatur enunciatione vera, quæ est in voce: nam affirmatio, quæ est in voce, non est alio modo vera, quam quia est signum ipsius veri; sicut vrina non est alio modo sana, nisi quia est signum animalis sani: voces autem non significant conceptus formales, & ipsas intellectionum qualitates, sed res conceptas, ut disput. præcedenti, c. 3. in 1. ratione ostendimus: ergo res obiectiue sunt primarie veræ, non autem conceptus formalis. Cætera igitur omnia vera sunt ex ordine ad veritatem, quæ conceptui obiectiui primarie conuenit, non solum voces, sed ipsamet qualitates intellectionum: hæc enim sunt signa conceptus obiectiui veri: at vero conceptus obiectiui verus est non ex veritate rerum secundum se, res enim non dicuntur

Soncinas.

Henricus.

Prima ratio Durandi.

Secunda ratio.

Ex ordine ad conceptum obiectiui veræ sunt voces, & conceptus.

dicuntur veræ, nisi ex veritate intellectus enunciantis, ut frequenti disputatione dicitur, sed ideo conceptus obiectivus verus est, quia convenit, & conformatur cum re ipsa secundum se.

At obijciat quis contra prædictam sententiam hoc modo, Veritas, quæ est in voce, non consistit in convenientia rei significata cum seipsa, sed vocis cum re significata: ergo veritas intellectus non consistit in convenientia conceptus obiectivi cum ipsa re, sed conceptus formalis cum re ipsa representata. Respondeo, voces, ut iam dixi, esse veras secundarie; non quia conformantur rebus significatis, sed quia significant conceptus obiectivos conformes rebus ipsis. Nam veritas prima se est in intellectu, & eatenus voces veræ sunt, quatenus denotant verum intellectum.

CAPVT II.

Corollaria superioris doctrinae.

Durandus.
Hervaeus.

Primum cap.
de illarum
veritatem
esse dñi ratio-
nis.

Soncin.
Secundo in-
fertur rela-
tio in veri-
tatis tripli-
tate ex eo quod
est intellectus
enunciatio.

EX superiori sententia aliqua notatu digna colligunt Durandus, & Hervaeus. Primum est, veritatem esse ens rationis: tum quia est in rebus non secundum se, extra intellectum existentibus, sed solum prout intellectui obijciuntur. Tum etiam, quia est convenientia rei cum seipsa diverso modo se habente: res enim non semper eodem modo concipiuntur, quo sunt: inter dum etiam est convenientia rei, cum seipsa non alio modo concepta, quam existit: videlicet quando res intelligitur intuitiva (ut alunt) notitia, præsertim ab ipso Deo: tunc autem convenientia illa, & conformatio, quam dicimus esse veritatem, potius erit relatio idemnitatis eiusdem rei ad seipsam, quam similitudinis, & convenientiæ: atque intellectus tunc dicitur verus, quod habet conceptum obiectivum ipsius rei prorsus, sicut ipsa est.

Cum autem veritas intellectus, quæ primarie convenit conceptui obiectivo, sit relatio rationis, efficitur etiam, ut sit relatio rationis in ipso conceptu formalis, cui veritas convenit secundarie: nam si in conceptu obiectivo, cui primarie convenit veritas, est tantum relatio rationis; multo melius erit in eo, cui secundarie convenit: quod si falsitas, & veritas primarie essent in conceptu formalis, facile posset asferri, veritatem, & falsitatem esse relationes reales, sicut est ipsa representatio. Ita docuit Soncin. in 6. meta. quæst. 17. nisi quod putat aliquando esse respectus rationis; nempe quando sunt ad rem non existentem: multi enim Thomistæ arbitrantur, rei existentis ad non-existentem esse tantum relationem rationis: quod tamen universum verum non est. Nam relatio productivi ad id, quod produci potest ponitur ab Arist. 5. meta. cap. 15. in 2. genere; & tamen est ad rem non existentem: de quo non est hic amplius disputandum.

Secundo notat Hervaeus. art. 3. & Durandus. num. 14. cum quædam entia rationis consequantur simpliciter notitiam, quædam alia enunciacionem; verum, & falsum non consequi notitiam, sicut genus, & species eam consequuntur; sed enunciacionem compositionis & divisionis, quod quidem si ita intelligant ut existant relationem veritatis, & falsitatis tribui rei ex eo, quod est intellectus, non quocumque genere cognitionis, sed enunciacionis solum; relationem vero generis tribui naturæ ex eo, quod est intellectus simplici notitia ipsam abstrahente à singularibus; eorum doctrina verissima

est. Nam fundamentum relationis generis, ex quo in ipsamet re concipitur relatio, est sola notitia simplex: fundamentum autem relationis veritatis, & falsitatis non est quæcumque notitia, sed enunciatio cum iudicio: siquidem antequam prius rem enunciet, nunquam dicere, aut intelligere possumus verum, aut falsum, ut præcedenti disp. probatum manet.

Si vero putent relationem ipsam rationis, cuius esse solum est cognosci, quandoque fieri compositione, & divisione, ut veritatem, & falsitatem; nonnunquam vero simplici notitia, ut genus, & speciem, falluntur aperte. Nullum enim ens rationis, quod est relatio, siue sit veritas, & falsitas siue genus, & species, fieri potest, aut cognosci, quod idem est, nisi collatione facta: eo quod ad modum relationis concipiuntur, collatio autem ab intellectu siue enunciacione fieri nequit, ut constat. Dixi autem, ens rationis relationem enunciacionem solum fieri: quia ens rationis negatio, ut Chimera, & privatio, ut cæcitas, simplici notitia formari potest, eo quod hæc duo instar aliquid entis realis concipiuntur, & ob id entia rationis non capiuntur.

Tertio ex dictis inferri videtur id, quod solum docet Henricus in Summa. art. 34. q. 5. videlicet veritatem prius esse in intelligentia, quam in re ipsa: nam in rebus solum dici reperiri ex eo, quod ex se aptæ sunt, ut ab intellectu intelligantur: quia ratione solum videtur concedere in rebus veritatem potestatem non actu. Nam cum res intelligitur, & convenientia conceptus cum ipsa iam est actu veritas, ut supra explicatum est: & in hunc sensum interpretatur illud Anselm. de veritate. c. 12. Veritas est res. Anselmo mente sola perceptibilis: imo etiam illud commune axiomæ, Verum, seu veritas, est obiectum intellectus: ex quo etiam dici consuevit, nihil ab intellectu cognosci, nisi sub ratione veri. Nemo ex hac doctrina concludit, veritatem Dei magis præcipue esse in eis essentia, prout habet rationem intelligentiæ, quam prout essentia est.

Hæc tamen doctrina in universum, nisi magis explicetur, mihi non placet, & ut in art. 5. examinandum relinquamus id, quod de veritate Dei docet, nunc de creatura solum tractemus. Primum igitur, quod inquit de rebus, ea sola ratione veras esse, quia aptæ sunt, ut ab intellectu cognoscantur, verissimum est, ut frequenti disputatione explicabitur. Deinde quod ait, veritatem præcipue esse in intellectu, duobus modis intelligi potest: uno modo, ut perinde, atque cætera entia rationis relatiua, solum habeat esse actu per intellectum cognoscentem, & comparantem: & ideo meliori modo, quo potest, sit, dum actu cognoscitur: & hoc pacto verissimum est, veritatem præcipue esse in intellectu componente. At veritatem hoc pacto in diuino intellectu non esse, artic. 5. contra ipsum Henricum optime monstrabitur. Præterea falsum est, veritatem hoc modo esse obiectum intellectus adæquatum, ut docere videtur Henricus: quamvis enim veritas formaliter, & actu solum sit obiectum in intellectu: tamen non omne quod cognoscitur ab intellectu, est ipsa veritas: quia plura alia entia intelliguntur. Altero modo dici potest veritas præcipue esse in intellectu componente, quia proximum fundamentum, ex quo res ipsa dicitur vera, est compositio, & divisio conceptus obiectivi, non autem res ipsa secundum se, aut sub alia intellectu operatione: & inde

& inde postea intellectus concipit actus, & formaliter ipsam veritatem, quæ est ens rationis: hoc autem modo veritas magis præcipue est in intellectu diuino, quana in eius essentia, vt videbimus in artic. 7.

Henricus tamen, mea quidem sententia, docere voluit, veritatem priori illo modo esse in diuina essentia, quatenus habet rationem intellectus, non autem posteriori modo. Quod vero Anselmus dixit, veritatem esse rectitudinem mente sola perceptibilem, non recte interpretatus est Henricus: neque enim ideo dixit Anselmus, mente sola perceptibilem esse, vt indicaret, veritatem solum fieri per operationem intellectus, sicut alia entia rationis, sed ad differentiam rectitudinis quantitatis, quæ sensu percipitur, vt manifeste ex ipso Anselmo in eo capite colligitur.

Cæterum quamuis obiectum intellectus sit verum, hoc est, res illa, cui primarie veritas conuenit, quia nomine veri comprehendimus omnem compositionem, & diuisionem intellectus, cui veritas tribuitur, dici tamen non potest verum obiectum adequatum intellectus, sicut bonum dicitur voluntatis: vt male putauit *Aegidius quodlib. 4. quæst. 7.* & alij: sed potius ens, vt recte docuit *Scot. in 1. dist. 3. §. Sed contra istam conclusionem*: cuius rationibus prætermisiss, hac sola probari potest. Omne id, quod intellectus intelligit, non sub ratione veri, sed sub ratione entis cognoscit: est enim intellectus falsi, & veri, sicut voluntas boni, & mali: nam voluntas est mali, non prosecutione, sed fuga: intellectus autem falsi, non assensu, sed dissensu. Imo vero intellectus aliquando, neque est veri, nec falsi: nempe in simplici apprehensione, in qua nec verum, nec falsum reperitur, vt disp. præced. monstrauimus: ergo obiectum adequatum intellectus non est verum: imo neque verum, & falsum, sed ens.

Quod vero communiter dici solet, omne, quod cognoscitur sub ratione veri cognoscitur, ita ego intelligerem: vt omne, cui intellectus præbet assensum, sub ratione veri quodammodo intellectum moueat ad assensum: contra etiam, dissensus intellectus circa falsum, sub ratione quodammodo falsi veretur. Nam intellectus nunquam assensum alicui enunciationi, donec cognoscat prædicatum potius subiecto conuenire, quam oppositum: quod licet re ipsa non ita conueniat, intellectus tamen assensu suo sic iudicat, ac si ita esset: & quamuis in tali iudicio directo non sit actus veritatis, etiam existimata, quia tunc intellectus non iudicat reflexa cognitione, conceptum suum obiectum conformem esse rei secundum se: tamen, vt iam dixi, ita assensum illi enunciationi, vt, si supra assensum directum reflecteretur, iudicaret conformem esse, ac proinde verum: hoc igitur est iudicium assensus semper versari circa verum, sub ratione saltem apparentis veri.

De dissensu autem circa falsum vice versa proportionem quadam dicendum est, namque dissensus est iudicium enunciationis, quo quis cognoscit, subiecto prædicatum minime continere, cum autem quis ita iudicat, quamuis re ipsa non ita sit, tamen in suo iudicio sic se gerit, ac si ita esset, sicut ei apparet, & de reliquo intellectus in dissensu ita se habet, quemadmodum de assensu circa verum prædictum est: apprehensio vero, quæ nondum ad assensum aut dissensum pertingit, est, quæ nondum apparet prædicatum subiecto conuenire,

nec non conuenire. Bene video *S. Tho. & Caiet. in art. 3. huius questionis, ad 2. alio modo interpretari axioma illud, Verum est obiectum intellectus*, de quo iterum in sequenti disput. c. 5. dicemus. Nunc vero hæc satis sint circa artic. 1. & 2. huius questionis, quibus ea quoque, quæ *S. Thomas* tractat questione sequenti, artic. 2. 3. & 4. complexi sumus.

Cæterum ea, quæ hæcenus diximus, non sufficiunt, vt definitionem veritatis in vniuersum eliciamus. Cum enim veritas sit conformatio intellectus cum re, ea quæ possit considerari ex parte intellectus cum rebus, & ex parte rerum cum intellectu, vt notauit *S. Tho. art. 1. arg. de ea tantum*, quæ est intellectus cum re, disputatum fuerit, altera solum pars definitionis hæcenus explicata manet. Quomodo autem veritas sit in rebus, quod ad aliam pertinet partem, seq. disputat. dicemus: quamquam, vt ibidem probabitur, tota natura veritatis primarie, & proprie ad solum intellectum reducenda est.

Ad argumentum vero, quod pro Caiet. sententia initio fecimus, facile potest responderi: concedimus igitur, intellectum esse primarie verum, & ab eo in res ipsas denominationem veri derivari, cæterum intellectum non esse verum aliquo formaliter sibi inherenti, sed ratione obiecti, quod in se representatione quadam dicitur continere, ex quo qualitas etiam ipsa representans, dicitur vera, vt probatum est.

ARTICVLVS III.

Verum verum, & ens conuertuntur.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod verum, & ens non conuertuntur. Verum enim est proprie in intellectu (vt dictum est) ens autem proprie est in rebus: ergo non conuertuntur.

2. Præterea. Id quod se extendit ad ens, & non ens, non conuertitur cum ente: sed verum se extendit ad ens, & non ens, nam verum est, quod est, esse: & quod non est, non esse: ergo verum, & ens non conuertuntur.

3. Præterea. Quæ se habent secundum prius & posterius, non videntur conuerti: sed verum videtur prius esse quam ens: nam non intelligitur nisi sub ratione veri: ergo videtur quod non sunt conuertibilia.

Sed contra est, quod dicit Philosophus *Lib. 2. Metaph. 2. Metaphy.* quod eadem est dispositio rerum in esse, & veritate.

Respondeo dicendum, quod sicut bonum habet rationem appetibilis, ita verum habet ordinem ad cognitionem: vnumquodque autem inquantum habet se esse, in tantum est cognoscibile. Et propter hoc dicitur in 3. de Anima: quod anima est quodammodo omnia secundum sensum, & intellectum. Et ideo sicut bonum conuertitur cum ente, ita & verum. Sed tamen sicut bonum

10
*S. Thomas
Caietanus*

*Solutur finis
argumentum
opposite sententia.*

101
Verit. q. 1. art. 21 & 1. dist. 19 q. 5. art. 1. 7. Ar. 1. huius quasi.

Lib. 2. Metaph. 2. Metaphy. 4. 10. 2.

Libro 3. de anima, text. 37. 10. 2.

num. addit rationem appetibilis supra ens, ita & verum comparationem ad intellectum.

*Ar. 1. huius
quæst.*

Ad primum ergo dicendum, quod verum est in rebus, & in intellectu, ut dictum est; Verum autem quod est in rebus, conuertitur cum ente secundum substantiam, sed verum quod est in intellectu, conuertitur cum ente, ut manifestatum cum manifestato. Hoc enim est de ratione veri, ut dictum est. Quamuis posset dici, quod etiam ens est in rebus, & in intellectu sicut & verum: licet verum principaliter in intellectu: ens vero principaliter in rebus. Et hoc accidit propter hoc, quod verum, & ens differunt ratione.

*Ar. 1. huius
quæst.*

Ad secundum dicendum, quod non ens non habet in se unde cognoscatur, sed cognoscitur in quantum intellectus facit illud cognoscibile: unde verum fundatur in ente, in quantum non ens est quoddam ens rationis apprehensum, scilicet a ratione.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur, quod ens non potest apprehendi sine ratione veri: hoc potest dupliciter intelligi. Vno modo ita quod non apprehendatur ens, nisi ratio veri consequatur apprehensionem entis. Et sic locutio habet veritatem. Alio modo posset sic intelligi, quod ens non posset apprehendi, nisi apprehenderetur ratio veri. Et hoc falsum est. Sed verum non potest apprehendi, nisi apprehendatur ratio entis: quia ens cadit in ratione veri. Et est simile, sicut si comparemus intelligibile ad ens: non enim potest intelligi ens, quin ens sit intelligibile. Sed tamen potest intelligi ens ita, quod non intelligatur eius intelligibilitas. Et similiter ens intellectum est verum, non tamen intelligendo ens, intelligitur verum.

Conclusio articuli est: Verum conuertitur cum ente, sicut etiam cum bono. Ceterum sicut bonum supra rationem entis continet quoque rationem appetibilis, ita verum non solum includit rationem entis, sed ordinem quandam ad intellectum.

ARTICVLVS IV.

Verum bonum sit prius, quam verum.

*102.
Ver. sic. q. 21.
artic. 3.*

*Lib. 1. Phy.
text. 49. Et
ex Prior. text. 11
pri. lib. dom. 23*

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod bonum secundum rationem sit prius quam verum. Quod enim est vniuersalius, secundum rationem prius est: ut patet ex 1. Phyf. Sed bonum est vniuersalius quam verum: nam verum est quoddam bonum, scilicet intellectus: ergo bonum prius est secundum rationem, quam verum.

2. Præterea. Bonum est in rebus, verum autem in compositione, & diuisione

ARTIC. IV.

intellectus, ut dictum est. Sed ea, quæ sunt in re, sunt priora his, quæ sunt in intellectu: ergo prius est secundum rationem bonum, quam verum.

*Ar. 2. huius
quæst.*

3. Præterea. Veritas est quædam species virtutis, ut patet in 4. Ethic. Sed virtus continetur sub bono: est enim bona qualitas mentis: ut dicit Aug. ergo bonum est prius quam verum.

*Lib. 4. Eth. 2.
7. com. 5. lib.
6. com. 1. lib.
11. 4. 7. 17.*

Sed contra, quod est in pluribus est prius secundum rationem: sed verum est in quibusdam, in quibus non est bonum, scilicet in mathematicis: ergo verum est prius quam bonum.

Respondeo dicendum, quod licet bonum, & verum supposito conuertantur cum ente, tamen ratione differunt. Et secundum hoc verum absolute loquendo prius est, quam bonum, quod ex duobus apparet. Primo quidem ex hoc, quod verum propinquius se habet ad ens, quod est prius, quam bonum. Nam verum respicit ipsum esse simpliciter, & immediate: ratio autem boni consequitur esse, secundum quod est aliquo modo perfectum: sic enim appetibile est. Secundo apparet ex hoc, quod cognitio naturaliter præcedit appetitum. Unde, cum verum respiciat cognitionem, bonum autem appetitum, prius erit verum quam bonum secundum rationem.

Ad primum ergo dicendum, quod voluntas, & intellectus mutuo se includunt: nam intellectus intelligit voluntatem, & voluntas vult intellectum intelligere. Sic ergo inter illa, quæ ordinantur ad obiectum voluntatis, continentur etiam ea, quæ sunt intellectus, & e conuerso. Unde in ordine appetibilium bonum se habet ut vniuersale, & verum ut particulare: in ordine autem intelligibilium est e conuerso. Ex hoc ergo, quod verum est quoddam bonum, sequitur quod bonum sit prius in ordine appetibilium, non autem quod sit prius simpliciter.

Ad secundum dicendum, quod secundum hoc est aliquid prius ratione, quod prius cadit in intellectum. Intellectus autem per prius apprehendit ipsum ens, & secundario apprehendit se intelligere ens, & tertio apprehendit se appetere ens. Unde primo est ratio entis, secundo ratio veri, tertio ratio boni: licet bonum sit in rebus.

Ad tertium dicendum, quod virtus, quæ dicitur veritas, non est veritas communis, sed quædam veritas, secundum quam homo in dictis, & factis ostendit se, ut est: veritas autem vitæ dicitur particulariter, secundum quod homo in vita

sua

dr. s. huius
questionis.

sua implet illud, ad quod ordinatur per intellectum diuinum: sicut etiam dictum est, veritatem esse in ceteris rebus. Veritas autem iustitiae est secundum quod homo seruat id, quod debet alteri secundum ordinem legum. Vnde ex his particularibus veritatibus non est procedendum ad veritatem communem.

Conclusio articuli est. Absolute loquendo verum primum est, quam bonum.

DISPUTATIO LXXVII.

Quo pacto veritas sit in rebus extra intellectum.

Quid sentiat Ferrariensis, cap. 1.

Refutatur opinio praecedens, cap. 2.

Opinio Capreoli & Soncinatis, cap. 3.

Probabilior sententia, cap. 4.

Ex praecedentibus elucidatur doctrina articuli 3. & 4. huius questionis, cap. 5.

CAPUT I.

Quid sentiat Ferrariensis.

Ubi ad exactam horum articulorum explanationem necessarium sit intelligere, quo pacto veritas sit in rebus, sub vna tantum disputatione vtriusque doctrinam complecti, & quae ex articulo disputanda reliquimus, examinare decreuimus. In quaestione igitur proposita prima sententia satis celebris, & communis est, primo, veritatem esse realiter, & communis est, primo, veritatem esse realiter, & intrinsece in rebus omnibus naturalibus, eamque esse passionem entis, quae cum ipso recipitur. Secundo, hanc veritatem esse relationem conformationis, & conuenientiae rerum cum intellectu diuino, à quo, tanquam à causa, pendet. Tercio in operibus artis, veritatem esse conuenientiam cum intellectu, & idea artificis: quam opinionem docet Ferrariensis. contra gent. 6. 60. §. Aduerte, & plerique recentiorum sequuntur: quamvis eam dicat in eo capite §. Ex quibus sequitur, res esse veras ab extrinseco, sicut medicina dicitur sana ab effectu, eo quod possunt efficere in intellectu, cognitionem sui veram; tamen id docuit de veritate quam habent ex ordine ad intellectum solum speculativum, supra autem aperte docuerat, res comparatas cum intellectu pratico, à quo pendet, esse simpliciter, & absolute veras non extrinsece, sed intrinsece & realiter relatione.

Videtur autem hac sententia S. Thom. in art. 1. huius q. cum enim definit, veritatem esse conformationem rei, & intellectus; dicit, ex parte vtriusque accipi posse veritatem, & conformationem: nempe & rei cum intellectu, & intellectus cum re. Vt autem explicet quomodo res intellectui comparata, dici possit vera, quatenus intellectui conformis est, inquit rem per se solum comparari cum eo intellectu, à quo ipsa pendet, naturalem videlicet cum diuino, artificialem vero (ut vocant) cum creato intellectu artificis. In eius igitur sententia res naturalis vera erit, quia assimilatur ideae diuini intellectus: res vero artificialis, quae imitatur similitudinem, & ideam artis.

Praeterea idem S. Thom. q. seq. art. 1. affirmat, in rebus quoque falsitatem esse: probat enim art. 4. illius q. veritatem, & falsitatem opponi contrarie: ex quo infert in art. 1. utramque vere versari

circà idem genus subiecti: falsitatem itaque concedit non solum in operibus artis, sed etiam in rebus naturalibus: in illis quidem, quando deficiunt ab idea artis; quocirca falsa domus est, quae non habet eam dispositionem, quam idea artis praescribit: in his vero, quando deficiunt ab ordinatione diuini intellectus, quod solum contingit in actionibus malis, quare ratio actio peccati falsa dicitur. Vt quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium? & contra, virtutis opus veritas vitae appellatur Ioan. 3. Cum S. Thom. consentit in omnibus Caietan. in art. 1. huius q. tamen in hac q. art. 6. §. Ad dubium autem, dicat, res appellari veras extrinsece tantum denominatione, ita ut nulla in rebus veritas sit formaliter, sed imitatur (inquit ille) seu adimplectur respectu intellectus diuini, & causaliter respectu intellectus nostri speculatiui: imò idem docere videtur S. Thom.

Hec sententia Ferrar. confirmari potest primum auctoritate Anselm. episcopi. de veritate cap. 4. & 5. ubi docet, veritatem esse in operatione voluntatis, & ideo dictum esse de diabolo, Ille in veritate non stetit: eam quoque esse in operationibus, non solum virtutis, sed etiam naturalibus; quoties agens iuxta naturam suam, ut debet operatur. Deinde ratione probatur sumpta ex definitione veritatis: cum enim veritas sit conformatio intellectus, & rei, recte colligit S. Th. in art. 1. huius q. sumi posse veritatem ex parte rerum, & ex parte intellectus: illa autem veritas, quae ex parte rerum est, debet esse conformatio, non cum intellectu, quem res per accidens, sed cum eo, quem res per se respiciunt; huiusmodi autem est intellectus diuinus, aut artificialis, qui sunt causa rerum: ergo res dicuntur verae, quia conformes sunt, aut cum intellectu Dei, aut cum intellectu artificis.

Psal. 4.

Ioan. 3.
Caiet.

Auctoritas
Anselm.
Ioan. 8.

Potremo ratione probatur.
S. Thomas.

CAPUT II.

Refutatur opinio praecedens.

Verum hac opinio in eo, quod secundo, & tertio loco asserit mihi non probatur, & quamvis iuxta sententiam, quam puto probabiliorem, verum tanquam passio entis in eo saltem debeat assignari, ut semper cum ipso recipitur, alia tamen ratione, quam hac opinio assignauit, id explicandum est. Primum autem ego non satis intelligo, quomodo doctrina S. Thom. in hoc art. secundum, & cum hac sententia Ferrar. constet: dixit enim in art. 1. huius q. verum primarie esse in intellectu, & inde in res ipsas derivari: è contra vero, bonum primarie in rebus, & inde in appetitum diffundi: quod si ita est; res erunt verae, quia sunt causa intellectus veri, non quia ipse sunt conformes intellectui: si autem veritas tam est conformatio rerum cum intellectu, quam intellectus cum rebus, ut idem S. Doctor in fine art. 1. & Doctores huius prioris sententiae docent; aequè primo rebus, & intellectui veritas conueniet, neque ab vno in aliud per analogiam derivari poterit. Quare licet res dicantur verae ex ordine conuenientiae cum intellectu, non proinde secundarie dicantur verae veritate ab intellectu communicata, intellectus enim dicitur verus non absolute ad se, sed ex ordine conformationis, & conuenientiae cum rebus; ob id tamen non dicitur habere veritatem, secundarie communicatam à rebus.

Porro, si in intellectu est primarie veritas, conformatio

3.

An constet
doctrina
Thomae.

2.

4.